Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 791

Quelle:
Copyright:

nem prout uoluerit inmutet, rursum cum *edit.* in his verbis coincidit: *Quę ſi in caritate* (edit. veritate) *complecteris. intelligis* (ed. intelligens) *deum. opus uitę agis et connaris* (edit. commoraris) *in Chriſto* &c. Finis: *ut remiſſionem conſequar peccatorum meorum*, poſt quae *Edita* 30. *lineis* ultra procurrunt, *Noſtrum* vero formula homiletica terminat: *Preſtante domino noſtro ihesu chriſto. qui cum patre* &c. Quae ab *Editis* abſunt, *4. paginas* conſtituunt in *Codice*, atque nec *Martianaeo*, nec *Vallarſio* Exemplum tale oblatum eſt.

XXVII. *fol.* 116. *Item ſermo ſancti hieronimi ad rectores eccleſiarum de exortatione miſericordię et remiſſione peccatorum.* Volupe videtur fuiſſe *Codicis* hujus ſcribae Titulos excogitare, qui inveſtigatoribus crucem figerent. Quae hic vendit, depromta ſunt ex *Hieronymi Comment. in Epiſt. ad Epheſ.* L. III. edit. *ſuprac.* T. *VII. col.* 637. praefixo initio homiletico in hunc modum: *Audiſtis in Lectione Apoſtolica cum legeretur fratres kariſſimi dicentem epheſiis beatum apoſtolum paulum. et per eos omnibus chriſti fidelibus. maxime tamen ſpeculatoribus eccleſię dei ubi ait. Eſtote autem inuicem benigni* &c.

XXVIII. *fol.* 117. p. 2. *Item Sermo Sancti Hieronymi de Doctrina Sacerdotum.* Initium: *In Sermone igitur Fratres mei quem Beatus Paulus apoſtolus epheſiis dixit. et ipſe dedit quosdam apoſtolos* &c. Similis lacinia ex iisdem *Commentar.* L. II. edit. *ſuprac.* T. *VII. col.* 614. Non ſat concinnum Exordium; neque enim *Paulus Sermonem* dixit, ſed *Epiſtolam* ſcripſit *Epheſiis.*

XXIX. *fol.* 119. *Item ſermo ſancti hier. qualiter errantes a doctoribus corrigantur.* Initium: *Dignum exiſtimo Fratres mei Dilectiſſimi ad eruditionem noſtram apoſtoli uerba ſubtiliter indagare. qualiter ea quę in eis lateant* &c. Excerptum ex Ejusd. *Comment. in Epiſt. ad Galat.* in C. VI. *v.* 1. edit. *ſuprac.* T. VII. L. *III. col.* 518.

XXX. *fol.* 121. *Item ſermo ſancti hier. quomodo intelligendum ſit quod apoſtolus dicit: fructus ſpiritus eſt caritas.* Initium: *Salutare ſatis et vtile eſſe iudicatur fratres kariſſimi indagare ſubtiliter* &c. Laciniae duae ex eod. *Comment.* L. III. C. V. prior in *v.* 13. *col.* 494. altera in *v.* 22. *col.* 510.

XXXI. *fol.* 124. *De hoc quod dicit apoſtolus paulus ad galathas. bonum autem emulamini ſemper in bono.* Initium: *Paulo latius ediſſerere Caritati ueſtrę deſideramus kariſſimi fratres* &c. Titulus unam cum initio facit ſententiam. Ex eod. *Comment. in Epiſt. ad Galat.* C. IV. v. 17. 18. edit. *cit. col.* 463. Sed poſt verba Hier. *et nequaquam perire patiantur*, is, qui *Hieronymum* Homileten fecit, adhortationem 17. *linear.* adjecit, quae incipit: *Sed nunc o fratres et comparticipes officii mei*